

Lo in ecclesia Mindensi et decanum sancti Iohannis Mindensis nos certificavit ac, quod in futurum nemo ex clero ipso relabi vellet, nos, quantum potuit, cercioravit; unde nos ad laudem dei pro salute animarum procuranda ac ad decorem ecclesie augendum et ad finem, ut illi, qui hactenus abstinerunt a talibus mulieribus aut qui eas 15 dimiserunt hoc tempore, in futurum abstineant, declaramus per presentes, quod siquis ex clericis beneficiatis civitatis Mindensis in antea quamcunque concubinam aut suspectam mulierem ad suam domum assumpserit aut in alia domo ad sua commercia tenuerit, ille talis ab ingressu ecclesie et fructuum beneficiorum suorum suspensus existat, districte precipiendo mandantes sub pena interdicti late sententie, ne capitula 20 huiusmodi beneficio quicquam ex fructibus beneficiorum cedere aut eundem ad interessendum divinis permittant; quinimo volumus et harum serie declaramus, quod eo ipso, quo huiusmodi concubinario de fructibus beneficiorum suorum contra huiusmodi nostrum mandatum responsum aut ipse ad interessendum divinis admissus fuerit, totam ipsam civitatem Mindensem ecclesiastico in notoriis iuris et facti absque decla- 25 ratione alia suppositam esse interdicto et illud ibidem servari debere, absolutionem et relaxationem penarum et sententiarum huiusmodi nobis et apostolice sedi tantummodo reservantes.

1) Nr. 1567. Vgl. dort Anm. 1.

**1451 August <6>, Minden.<sup>1)</sup>**

**Nr. 1585**

*NvK an alle Christgläubigen. Er publiziert sein Reformdekret Quoniam multorum (Nr. 9) über die Beobachtung der Klausur in Nonnenklöstern der Diözese Minden und bevollmächtigt den Prior von Möllenbeck, die Erlaubnis des Klosterbesuchs durch Fremde zu erteilen, einzelnen Nonnen das Verlassen des Klosters zu genehmigen und zuwiderhandelnde Nonnen von den kirchlichen Strafen zu absolvieren, in die sie dadurch gefallen sind.*

*Kop. (15. Jb.): HANNOVER, Landesbibl., Ms I 182 f. 74<sup>rv</sup>. Zur Hs. s.o. Nr. 1549.*

*Erw.: Härtel-Ekowski, Handschriften II 50f.; Meuthen, Deutsche Legationsreise 473 und 476; Schwarz, Regesten 456 Nr. 1828.*

Quoniam multorum tam ecclesiasticorum quam secularium veridica relatione didicimus monasteria monialium per diocesim Mindensem omnibus intrare volentibus patere et ob hoc, quia clausura carent, multa turpia et feda commercia deo abhominabilia fieri, qui tunc maxime offenditur, quando sibi dedicate sponse per castitatis solemne votum relicta promissa fidelitate adulterantur, ob quod facinus eciam apud 5 ethnicos tanquam talium sacratarum virginum supra quam viciate moniales supremo et horribiliori supplicio deputabantur; unde, cum nostri officii sit dei offensas eliminare et animarum salutem promovere, presencium tenore precipimus et mandamus, quod nullus hominum sub pena excommunicationis late sentencie, quam ferimus in hiis scriptis, nisi a priore de Molenbeke ordinis sancti Augustini canonicorum regula- 10 rium dicte diocesis super hoc licenciam habuerit, ex quacumque eciam causa aliquod huiusmodi monasterium monialium a festo Assumpcionis gloriose virginis Marie proximo futuro intrare presumat; quinimo volumus, quod, quicumque contrarium attemptaverit, eo ipso absque ulteriori declaratione ab omnibus pro excommunicato in divinis et extra vitetur et, ubicumque fuerit, quamdiu moram traxerit, ibidem strictis- 15 sime servetur interdictum.

Mandamus sub simili pena excommunicationis late sentencie et privacionis beneficiorum omnibus capellanis, qui divina in monasteriis celebrant, et aliis omnibus sacerdotibus, quod, quam cito noticiam certam habuerint aliquem contra nostram  
20 prohibitionem aliquod talium monasteriorum intrasse, quod tunc in continenti illum talem vitandum et in eo loco, ubi fuerit, interdictum per nos positum strictissime servandum publicent.

Sub simili eciam excommunicationis late sentencie et interdicti pena precipimus omnibus et singulis monialibus, quatenus ab illa die Assumpcionis inantea nequa-  
25 quam, eciam data licencia per abbatissam aut priorissam aut aliam quamcumque, nisi dictus prior in Molenbeke similiter nostri nomine annuerit, exire monasterium suum audeant seu aliqua earum audeat; quinymo contrarium facientem excommunicatam et locum, ubicumque fuerit, interdictum absque ulteriori declaracione esse volumus, mandantes sub simili pena late sentencie capellanis et presbiteris omnibus de hoc cer-  
30 tam noticiam habentibus, ut monialem illam excommunicatam et locum, ubi fuerit, interdictum publicent.

Volumus eciam et sub eadem pena late sentencie precipimus omnibus et singulis monialibus huiusmodi, que pro presenti tempore sunt a suis monasteriis absentes, ut ad sua monasteria infra hinc et festum Assumpcionis prefatum redeundo reintrent  
35 inibi in clausura deo sua vota redditure, omnibusque et singulis plebanis et quibuscumque sacerdotibus sub dicta eciam excommunicationis late sentencie pena precipientes, quod in omni parrochia, ubi post dictum festum Assumpcionis aliqua monialis extra monasterium et sine littera licencie prioris predicti reperta fuerit, quamdiu illa ibi erit, strictissimum servent interdictum, eidem priori facultatem dantes monia-  
40 les ipsas, que 'ad cor redierint'<sup>2)</sup> et monasterium suum receperint animo in clausura regulam observandi, a sentenciis et censuris huiusmodi absolvendi iniuncta penitencia salutari, absolucionem vero omnium aliorum, qui contra hanc nostram ordinacionem deliquerint, nobis et nostro superiori reservantes.

Volumus nichilominus et dicta auctoritate decernimus, quod huiusmodi nostre lit-  
45 tere in valvis sive portis maioris ecclesie Mindensis exequantur et affigentur ac ibidem affixe et execute omnes et singulos, quos concernent, sic arceant et astringant, ac si ipsis et eorum cuilibet personaliter lecte et insinuate fuissent.<sup>3)</sup>

---

45 affigentur: *so auch* Nr. 1679.

---

<sup>1)</sup> *Als Datum ist angegeben: die veneris iii<sup>a</sup> mensis augusti. Der dritte August fiel aber auf einen Dienstag. Ein Versehen im Wochentag (veneris statt martis) dürfte weniger wahrscheinlich sein als die mißverständliche Lesung iii für vi.*

<sup>2)</sup> *Is. 46, 8.*

<sup>3)</sup> *Weitere Verkündigungen des Dekrets: Nr. 1679 und 2009; dazu auch oben Nr. 973 Z. 22–26 mit Anm. 8 und die Zusammenstellung bei Meuthen, Deutsche Legationsreise 473.*

#### 1451 August circa 6, Minden.

Nr. 1586

*Kundmachung über die auf Bitte des Abtes Johannes von Bursfelde, des Priors von Böödeken<sup>1)</sup> und einiger anderer durch NvK für Stadt und Diözese Paderborn festgesetzten Bestimmungen zur Gewinnung des Jubiläumsablasses.*

*Kop. (etwa gleichzeitig, von der Hand des Böödekeener Augustiner-Chorberren Johannes Valbert): PADER-*